Epistola 142. JOHANNI COCCEJO GERHARDUS MEIER.

Epistola ~~137~~ 140. JOHANNI COCCEJO, ALLARDUS UCHTMAN.

S. P. Vir Clarissime & Reverende

Per nimiam festinationem nautæ vestratis Claes Coensen, & absentiam ejus, cui ad tempus utendum concesseram commentariū Abarbinelis in Pentateuchum, non potui simul vobis mittere eum librum, quem sine dubio ex designatione Catalogi desiderabitis [in fol: Hebr. num 22] te latet significabis igitur num reliquos recte acceperis, nam octiduum est & amplius quum hinc solveret, habebisque eum a me propediem, nisi frigus intercesserit & aquæ gelu constringantur. Libenter ad tempus usum flagitassem libri משמיע ישוע׳ Rabbi Abarbanel, in quo legere quædam cœperam, verum non licebat orbare vos rebus vestris: videtur mihi author infensus nimium Christianis in diversa & præcipitia abripi, cujus rei iste liber qui fere postremus ejus fœtus est, luculentissimum perhibet testimonium, dum relictis Prophetiis manifestis atque evidentibus obscuriora studiose sectatur, ut ex illis infelicem gentis suæ spem atque expectationem statuminet. Quamquam ubique בנינו רעוע מאד audet tamen aliquid ultra genium gentis suæ, quod vel in ista Bileami prophetiâ pervertenda elucet, ubi nihil non comminiscitur, ingeniose sane ut sibi videtur nimis tamen impie manifesta eludit & revera שרין קשקשים לבוש Volupe tamen est hæc videre & examinare, cum merito inter illos triarius habeatur. Cœpi vertere בחינת העולם Judæi Badreshitæ R: Jacob. aut ut aliis placet Jedaiæ, quod uti spero brevi lucem videbit, & mittam ad te specimen quoddam συγγράμματιον ejusdem authoris, ubi totius contextus voces a littera מ inchoantur, ut tuum de eo feras judicium, appendix erit prioris tractatus, quod authori vocatur בקשה neutrum quod sciam Latine adhuc est editum, vidit partem ejus Cognatus Hipstetus, & si liceat per otium addam aliquas annotationes, atque hæc primum erit periculū quod publico sim daturus. Ad ipsum rescribam, ubi videro ejus literas, nec desistam eum vestram facere. Vale Vir Clarissime παροικί, meque ut facis ama tui studiosissimum. Clarissimis Collegis tuis plurimam a me salutem. Vale iterum. ad diem 3 Decemb. Gregor. Lugduni Batavor. 1640

De Alcorano quod petis memor ero.

Clarissimo nomini tuo

Devotissimus

Allardus Uchtman

Viro Reverendo & Clarissimo
D. D. Johanni Cocceio: SS. Theol: Doct:
& Hebraicæ Linguæ professori celeberrimo
in Academia Frisiorum

Franequeræ

port